FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG. PRUSS. SCIENT...

Franz Ernst Bruckmann



EPISTOLA ITINERARIA L.
MEMORABILIA MUSEI LESSERIANI
SISTENS.

AD

VIRUM PRÆNOBILISSIMUM, CLARISSIMUM ATQUE DOCTISSIMUM DOMINUM,

DOMINUM

HENNING. JOH. SIEMENS,

MED. DOCT. ET CONSTITUTUM A SERENISSIMO ET POTENTISSIMO MAGNÆ BRITANNIÆ REGE ET PRINCIPE ELECTORE HANNOV. &c.
UT ET
SERENISS. DUCE BRUNSVIC. ET LUNEB. &c. MEDICUM PRACTICUM PRO METALLURGIS HERCYNIÆ INFERIORIS PRÆSTANTISSIMUM, EXARATA
A
FRANCISCO ERNESTO BRÜCKMANNO, D.

CUM FIG. ÆNEIS.

LYCOPOL. MDCCXXXV.



NOBILISSIME, DOCTISSIME
ATQVE
HONORATISSIME DOMINE DOCTOR,
FAVTOR ET AMICE SVAVISSIME!



Dspice in charta, *Vir Nobilissime*, Frid. Christ. Lesseri, in inclyta libera S. R. I. civitate Nordhusa nati, ibidemque ad Montem Divæ Mariæ virginis Pastoris vigilantissimi, & orphanotrophæi administratoris musæum rerum curiosarum, quod contemplandum *Tibi* offerimus. Reverend. Dom. Possessor hoc ipse, indefesso studio & curiosa diligentia, in itineribus collegit partim, partim & ope fautorum, vario hinc inde non sine sumtibus, instituto commercio litterario auxit, inque duas divisit partes. Ordinem naturalem in his disponendis sequutus est; quemadmodum enim natura polydædala artem præcedit, partim quia materiam rebus arti-

 ficiosis

ficiosis conficiendis e divite suo penu præbet, partim quia artifices naturam ducem imitantur; ita etiam res naturales artificialibus prætulit. In instituendo ordine rerum naturalium ea usus est methodo, quam natura in progignendis rebus servat, ut ab ignobilioribus ad nobiliora, ab imperfectioribus ad perfectiora, ascenderit. Dispescuit igitur Dom. Possessor res naturales, secundum tria naturæ regna, in minerales, vegetabiles & animales, attendendo ordinem, ab ipso naturæ omnipotente fabricatore adhibitum, qui secundum oraculi Mosaici in Genes. C. I. ex aquis terram, & quicquid in ea continetur, collegit, v. 9. 10. Deinde vegetabilia e terra eduxit, v. 11. 12. & tunc demum animalia produxit, v. 20. ut haberent, sedem, ubi habitarent, & cibum, quo vescerentur. Hunc ordinem, a creatore impressum, natura adhuc hodie servat. *Regnum minerale* (vocabulo, τὸ minerale, in sensu latissimo sumto) in hoc museo tres continet sectiones, nempe fossilium, in specie sic dictorum, lapidum & mineralium.

Inter *fossilia* asservat D. Poss. varias *terras*, quas artifices & medici in usum trahunt; *salia*, inter quæ spectantur diaphana, sal gemmæ Polonicum; cui affine est Bottendorffense ex Thuringia; sub cœruleum Sowariense Hungar. rubrum Salisburgense; alumina, nitra, vitriola; mineram vitrioli scissilem ex Cypro; mineram elegantem vitriolo viridi nativo gravidam; vitriol. cœrul. pellucid. Cypricum & Hungar. Herrengrundense; idem ultimi loci rarum ex cœruleo rubicundum, it. ejusdem loci ex albo rubicundum. *Concreta pinguia, sulphura*, scoriam sulphuream Vesuvii montis; Arsenici species; bitumina in terra & mari reperta; succina variorum colorum, albi, nigri, cerei, citrini, rubei. Adest succini frustum, cui aranea inest; nec non succini pars elegans gnaphalium aquaticum continens. Lapides Dom. Poss. ita locavit, ut primo conspici possint *lapides ex terra eruti*, deinde *ex animalibus desumti.* Ex terra erutos divisit in *ignobiles* & *nobiles*; priores divisit *in* ἀμόρφυς, *figura carentes*, & ἐμμόρφυς, *figura præditos*, quorum subdivisiones continent lapides non figura-

tos

tos *molliores*, respectu ad alios lapides habito, & *duriores*. *Figuratos* distinxit in eos, qui provenerunt ex lusu naturæ, transmutatione, & impressione. *Nobiles* distributi sunt ab illo in diaphanos & obscuros. *Lapides ex animalibus* ita asservat, ut possit ostendere illos, qui in animalibus concreverunt; & illos, qui ab istis deglutiti sunt. Ex omnibus curiosiora & rariora tantum specimina adnotabimus.

Inter *lap. figura destitutos molliores* sunt Alabastritæ, Amianthi, calcarii, Galactitæ, gypsa, pumices, speculares, talca, tophi, in specie Amianthus Persicus ex oppido Derbent; lap. specularis rhomboidalis Islandic.

Inter *duriores* sunt arenæ variæ variorum colorum, cotes, marmora, lap. cornei &c. inpr. autem: Marmor Querfurt. politum, duobus cornubus Ammon. totam lapidis substantiam permeantibus, insigne, in quibus interna concamerationum vestigia, jucunda oculi delectatione, conspici possunt, simile fere illi, quod Ep. It. XXV. T. II. fig. III. in ære expressum est. It. aliud, varias foliorum, quales pictores scribere solent, ramificationes, Germ. Frantzösisch Laubwerck, ostendens, inter quas visui patet turbinitæ septem spiris constantis interior structura, quarum spirarum parietes intergerini e fluore selenitico semidiaphano constant. Hæ autem in lapidibus obviæ ramificationes, sunt nihil aliud, quam conchæ, cochleæ, turbinitæ & alia corpora marina multifaria petrifacta, quæ perubique, infra & supra, non aliter ac confusum Chaos, acervatim cum tota lapidis substantia, tunc temporis molli, permixta; horum ductus, gyri & lineæ confusæ oculis exhibent sic dictas ramificationes. Adest *lap. corneus* variis striis parallelis centrum cingens, & Achatem mentiens; it. figuram cordis repræsentans, it. coracini coloris, Zinziberis radicem æmulans; it. lactei coloris, agri Halensis, cui impressiones duorum lapidum Judaicorum; it. caput ossis femoris exacte exprimens. Inter *silices* adest Prussicus quidam Pillauiensis ex mari, ponderis duarum librarum & quadrantis, cui

cui Quercus marina adnata est. Hæc fine ramis planta, foliis oblongis & latis prædita est, quæ, quamdiu sub aquis latent, mollia, & atra viriditate prædita, sunt, quando vero ex aquis depromuntur, in saxis diffusa reperiuntur, & siccata nigrescunt, glutinisque instar splendent; folia sunt multifida, & secundum alarum processus bullas quasdam eminentes rotundas l. oblongas habent; nullis firmantur radicibus, sed lepadum more vel saxis, l. ostreorum testis adhærent. Mirum certe, quomodo tam duro lapidi nihilominus adhærere, & ex iis nutrimentum capare valeant? Curiositas nunc oculos ducit ad perlustrandos laudati musei *lapides figuratos ex lusu naturæ.* Sub hoc intelligimus accidentalem, variis ex causis ortam lapidum figuram, quæ res nonnullas naturales alias, aut artefactas, externa quadam similitudine imitatur, licet neque ratione externæ formæ, proportionis, aliarumque qualitatum, neque ratione internæ structuræ, adeo exacte cum corpore, quod præsentat, conveniat. Hic vero terminus ideo apud lithologos retinetur, partim ne confusio terminorum oriatur, a lithographis enim semel receptus & jure civitatis quasi donatus est; partim, quod intellectus sic ideam habeat, quæ reprehensionem de jure non mereatur. Quatuor autem classes his lapidibus assignavit; Prima continet *lapides Zographicos* s. *pictos*, qui l. a succis sulphureis & vitriolicis in superficie plana figuras quasdam rerum naturalium aut artificialium, miniato quasi artificio pictas, exprimunt; l. ex confluxis variis massis, si lapides poliantur, picturas in superficie mentiuntur, totam lapidis substantiam permeantes.

Asservat *lapidem astrographitum* l. *Alabastritem album, stellis seleniticis canis conspicuum*, quem ære exprimi curavimus P. II. Magnal. Dei in locis subterran. T. VII. fig. I. ab ipso ante annos aliquot in vicinia Northusæ Steigeræ valli, zu Steigerthal, vico præfecturæ Hohnsteinensis, in Comitatu Stolbergensi, primum detectum, quem Dom. inventor ideo *Astroitem spurium* denominavit, ut eum a veris Astroitis, qui ad Coralliorum familiam pertinent, distingueret. Possidet quoque

que pyritem, per medium diffractum, in cujus binis lateribus Internis caput galli Calecutani conſpicitur, quod affabre oculis, collo, roſtro cum proboſcide conſpicuum eſt, ſuoque ſe colore fuſco a colore corneo lapidis diſtinguit. Habet dendritas varios; Florentinum, l. potius Veronenſem album, politum, arbuſculis nigris ſubtiliſſimis totam lapidis maſſam permeantibus, inſignem; Dendritem ex pago Holzengel, ditionis Sondershuſinæ, muſcum ſaxatilem repentem minimum colore nigro in lapide cinereo duro præſentantem. Dendrit. Buchholzenſem a Dom. Poſſeſſore primum inventum; eſt lapis ſciſſilis ex pullo canus, cujus ſuperficies colore flaveſcente obducta, muſcum coralloidem latifolium Caſp. Bauhini nigro colore ſplendente adumbrat, viſui eo acceptior, quo diſtinctius color niger a flaveſcente ſe diſtinguit. c. fig.

IIda claſſis habet *lapides anaglypticos*, ſurgente ſupra ſuperficiem figura, qui lapides etiam interdum toti ex matricibus ſeparari poſſunt, aut ſeparati jam exiſtunt. Attendi merentur *Maſtites* l. lap. mammam fœmineam cum papilla exhibens; *Colites* membrum virile pueruli præſentans, quem lapidem Rev. D. Poſſ. in ſua ad celeber. D. Frid. Hoffmannum Epiſt. de lapid. cur. circa Nordhuſam inveniri ſolitis, ita deſcripſit: „Habet hic meus lapis ſcrotum, habet penem, non erectum, „ſed ſcroto naturali ſitu incumbentem, habet præputium, „mentulæ quaſi obductum„ &c. *lapis bugloſſus*, figura & magnitudine linguam bovinam æmulans, quem circa Dœringshuſam, præfecturæ Sondershuſinæ Clingenſis in Thuringia vicum, legit, ubi tanta copia inveniuntur, ut plauſtris integris avehi queant, quando pluviarum impetus eos ex proclivi latere arabilis terræ elavit. Tacemus *amygdaloidas*, *coccomeloitas*, *Zingiberitas*, *carpolithos*, &c. Tertia claſſis aſſervat lapides *diaglypticos*, inciſa l. etiam perforata in lapide figura; pertinent huc lapides fiſtuloſi, perforati, & inpr. *Helitæ* l. *lap. ſolares ſylvæ Hercyniæ*, qui ad diverſorium publicum, Auerhahn cognominatum, in altiſſimis Goslariam inter & Cellæ campum montibus ſitum; it. in monte Bructero, inveniuntur, quales Tab. I. Fig. I.

Ep.

Ep. It. XXXII. Tab. II. fig. V. in ære expressos sistit. Lapis est quasi arenosus, sed durus, albicans, cinereus, flavus, brunnus, innumeris solibus, radiis subtilissimis, coloris modo lucido-punicei, modo flavidi, variæ magnitudinis, circumferentiam tamen quadrantem grossi non excedentis, miro artificio elegantissime quasi exsculptis, hinc inde per totam lapidis massam sparsis. Nonnunquam duo ejusmodi soles sibi invicem in lapidis visceribus oppositi cernuntur, intercedente spatio l. cavitate, in cujus medio subtilissima columnula l. stellula l. etiam tenuissimus saltim axis spectatur, e centro unius solis ad centrum alterius pertingens. Quarta classis habet *lapides, alias res incrustantes*, tophos, stalactitas, stalagmitas; cochleas terrestres topho albo obductas ex fonte aureo Megafurrensi; gramina topho albo calcario incrustata, ad fontem montis Kohnsteinii, der Striedelborn dictum, obvia, quæ id singulare habent, quod hæc inter topho incrustata gramina globuli hæreant, margaritas, & magnitudine & figura æmulantes; stalactitem specus Bumanni pedem anseris palmipedem, cum suis digitis, mentientem; stalagmitas ostendit Weissenbornenses Eichsfeldianos, materiæ friabilis, confectiones Anisi l. Coriandri seminis referentes; similes sunt Tiburtinis, Confetti di Tivoli dictis.

Veniendum nunc ad *lapides figuratos ex transmutatione*: Hos Dom. Possessor distinxit in eos, quorum *analoga certa*, & eos, quorum *analoga incerta*. Ad lapides transmutatos, quorum *analoga certa*, refert ex *regno animalium & quidem rationalium* varia ossa calcinata & petrifacta. Ab *animalibus irrationalibus*, & quidem 1) *insectis* possidet araneam petrifactam lapidi albo Pappenheimensi incumbentem, corpore exili & pedibus subtilissimis. 2) *Crustaceis*, cancrum rotundum Orientalem in gleba argillacea petrifactum, pagurum exacte exprimentem, cujus crusta superior sulcis suis conspicua est, inferior in gyrum suis crenis, imbricum more, incisa est, in cujus medio cauda articulata injuncta; brachia ei desunt, pedes quatuor ab uno latere, ab altero vero unum habet. Ejusmodi

Tab. I. Fig. III.

modi cancri lapidei eandem virtutem medicam habere creduntur, qualem Bezoardici orientales vi sua absorbente, diaphoretica & alexipharmaca præstant, hinc quoque, ratione pretii eis similes æstimantur, sed inique; virtutes concedimus, minime vero pretium, cum ipsimet tales duobus aureis nummis, quos Ducaten appellamus, procurare possimus. Cancer, quem Dom. Possessor habet, & quem in Tabula hic fig. III. vides, pondere suo tres unciæ partes æquat, & pretio triginta thalelorum imperialium a nonnullis æstimatur. Præprimis autem magna copia *testaceorum petrifactorum* physiotameum hoc superbit; ostendit testacea tubulosa monothalamia, tubulos, cochlidas, buccinitas, strombitas, turbinitas, turbinitas, trochitas varios, in specie Turbinitem Sondershusinum in matrice dura arenosa, spiris quinque præditum, quarum testa externe scabrosa est, helices vero interne cavæ & guttulis crystallinis aspersæ sunt. Alium ejusd. loci, vel potius nucleum turbinitæ, quatuor spiris separatis, sine fractura e matrice erutum. Ad polythalamia pertinent nautilitæ & Cornua Ammon. quorum archetypa in mari reperiuntur; pars nautilitæ Goslariensis, testa nativa splendenti castanei coloris vestita; pars nautilitæ, testa nivea calcinata, ovi testæ simili, striisque subtilissimis, serpentino ductu testam transversim trajicientibus, amicta, e terra fontis Bollensis Würtenb. fragmentum nautilitæ elegans, nativa testa perlacea insignis, quæ luci obversa, ad varias ejus reflexiones variis colloribus, argenteo, croceo, rubro colore, ad modum iridis vel opali, ludit, manifesto antiqui sui stemmatis argumento. Testacea vasculosa s. conchæ petrifactæ sunt l. *simplices*, monoconchæ aut univalves, v. g. patellæ, lepades, aures marinæ; l. *compositæ*, quas iterum distinxit in bivalves l. dichonchas, & multivalves l. polyconchas. Bivalvibus adscripsit pectinitas, tellinitas, ostracitas, ect. v. g. Pectunculitem Querfurtensem, cujus binæ valvæ eleganter adhuc clausæ cohærent; ectypon Cordis Veneris pectinati Zürichense; ostracit. rugosum, Semproni in Hungaria inferiori effossum, testa sua adhuc tectum. Multivalvibus adscripsit balanoidas & echinitas,

Tab. II. Fig. I.

tas, v. g. echino ſpatagitem lapidis cornei ſubſtantia, qui propter figuram cordis, cordatus ab aliis dicitur. Figura ſcil. gaudet in vertice latiori, ſinu in medio exiſtente; cruſta cretacea inſuper obductus eſt, quæ in medio pectoris pentaphylloidæam habet imaginem, cujus quodlibet folium ſecundum longitudinem in medio lineam ſubtiliſſimam inciſam habet, ad cujus utrumque latus lineæ duæ parallelæ, ex punctis inciſis conſtantes, concurrunt, quæ lineis transverſis ſubtiliſſimis connexa ſunt Tota cruſta papillis minimis obtecta eſt, eoque magis ſpecioſa, quo minus primæ archetypi elegantiæ jacturam ſenſit. In baſi aperturam oſtendit centrum inter & marginem, cui reſpondet alia in ſuperiori vertice illi oblique oppoſita.

Tab. I. Fig. IV.

Ad *lapides figuratos ab animalibus ſanguine præditis* proſapiam ſuam deducentes, ſive ſint a *reptilibus*, ſ. a *natatilibus*, ſ. a *volatilibus*, ſ. a *greſſilibus*, pertinent: Vermiculus petrifactus in lap. albo Pappenheim. Oolithi; coſtula avis in lap. arenario Querfurt. dens moralis major Hippopotami in ſpecu Rüdigesdorffiano repertus; alius dens moralis, colore caſtaneo, immerſus matrici arenoſæ Ophuſanæ, a piſce Sora, circa Siciliam obvio, quem Luidius Ichthyodontem appellavit, Büttnerus v. perperam pro caſtanea petrifacta aſpexit.

Regnum vegetabile varia quoque habet petrifacta, *a plantis terreſtribus* & marinis ortum trahentia; a plantis terreſt. collegit varia lithoxyla, v. g. fruſtum ſatis magnum Pillavienſe, externe cortice nigro, interne fibris præditum & nodo ramoſo ſpectabile; lithophyta, inter quæ arundo, ſtriis & geniculis ſuis ſatis notabilis, ad arundinis Indicæ ſacchariferæ ſpecies pertinens. *A plantis marinis* l. lithophytis marinis foſſilibus aſſervat ſpecimina, quæ ratione originis l. lapideæ l. ligneæ l. herbaceæ fuerunt, v. g. Corallia, Aſtroitas, ſtellis non perviis, Columellos, ceratitas, fungitas, poros, alcyonia.

Ordo nunc ad *lapides figuratos*, *quorum origo incerta*, ducit. Horum quidam ſuis criteriis originem animalem aut vegetabilem indicant, ita tamen, ut non liquido conſtet, cui ſpecie aſſignandi? alii autem ab aliis ad animalem alii ad vegeta-

getabilem prosapiam referuntur. Inter *lapides originis animalis incerte* adsunt varia ossa ex speciebus patriis & exteris, praecipue odontopetra s. dens molaris magnus pollices fere duos, & quod deest, latus; Cornua Ammonis, quorum analoga adhuc nondum in mari visa sunt, licet constans & certus eorum character satis evincat, ea cornuum Ammonis familiae adscribenda esse. Adest Cornu Ammon. magnum Mega-Erichii inventum, striis longe a se dissitis, & ad circumferentiam in tubercula elatis, suturis serpentiformibus ambitum trajicientibus ornatum, quae ex ductibus semilunaribus simplicibus & crenatis alternatim se excipientibus constant. Aliud ejusmodi cornu, si striarum absentiam excipias, in altero latere politum, in quo nonsolum concamerationum indicia & interstitia, sed etiam in nonnullis fluor seleniticus, mira jucunditate, spectatur, Arnstadium patriam agnoscens. Porro Gryphitae, terebratulae &c. Tab. I. Fig. II.

Inter eos vero lapides, quos *alii animali, alii vegetabili origini* adscribunt, hoc museum conspiciendos praebet Entrochos, Trochitas, Asterias, probe ab Astroitis, qui coralliis annumerandi, distinguendas; Belemnitas, lap. Judaicos, Encrinos. Quia vero saepius evenit, ut originalia quaedam primae eaeque molli lapidum, antequam induruerint, materiae suam impresserint formam, quae postea ex variis causarum injuriis perierunt, relicto suo iconismo, etiam his separatum in museo locum assignavit, & lapides ejusmodi impressionum vestigiis notabiles, *impressos* vocavit, ad distinctionem lapidum ex lusu naturae diaglypticorum. Inter hos *ex regno animali* habet lapides Ichthyomorphos, qui aliis Ichthyolithi vocantur. Ostendit lapidem album fissilem Ubermanshofensem, ad marmoream fere duritiem accedentem, & in eo piscis iconem, dorso incumbentem & in semicirculum inflexum, in quo videre datur caput cum ossibus, spina dorsi cum vertebris suis, ex qua ab utroque latere costulae exeunt, pone has, absumta carne, videntur squamae, quae propter solidiorem consistentiam non aeque facile, ac caro, absumi potuerunt; ad latus corporis pinnae, & in extremitate cauda satis

 dilucide

dilucide conſpiciuntur. Adeſt lapis fiſſilis niger, patriam Buchholzium pagum agnoſcens, in quo piſcis, mediam ulnam cum ſexdecima ulnæ parte æquantis, effigies cernitur, in hujus pectore ovulorum indicia præſto ſunt.

Ex regno vegetabili D. Poſſ. varia poſſidet lithophyta, quæ lapides *phytomorphos* nominavit, nempe lapidem ſciſſilem nigrum Ilmenavienſem impreſſione Equiſeti, in cujus caule ab utroque latere unius cujusvis geniculi variæ ſetæ ſubtiles ſeſe exſerunt, notabilem; lap. ſciſſ. nigr. Wettinenſem folia Filicis, Polypodii, Gallii, Arundinis ſacchariferæ, confuſo ſitu, continentem; lap. fiſſ. ciner. Sileſiacum, imaginem Opii montani Caſp. Bauhini amplioribus foliis nigris, nervis perſpicuis, ſiſtentem. Nec deſunt *bibliomorphi lapides*, ab aliis *lithobiblia* dicti, in maſſa calcaria & tophacea foliorum veſtigia venarum ductibus conſpicua, videnda præbentes. Satis de lapidibus macrocosmi! Indefeſſum D. Collectoris in rebus phyſicis indagandis ſtudium lapicidinas etiam *in animalibus* obſervavit. Cum v. non omnes animalium calculi in animalibus concreti, ſed nonnulli ab iis ſaltim deglutiti ſint, diviſit iſtos ex animalibus deſumtos in *concretos* & *deglutitos*. Ex prioribus poſſidet oculos 69. non vulgaris magnitudinis; lapides duos ſerpentis ex Indoſtan, Pedra dell Cobra de Capello dictos, colore nigro-cinereo, drachmarum trium pondere; lapidem Crocodili Orientalis drachmæ dimidiæ & XIX. granor. lap. veſicarium equi lividum, lævem, rotundum, malum citrium magnitudine æquantem, cujus cruſta poris ſubtiliſſimis prædita eſt; in medio usque ad centrum perforatus eſt, ita ut in cavitate lamellæ, ceparum more ſibi invicem impoſitæ, accrementum ſucceſſivum indicantes, conſpici posſint; libram unam ſemis cum tribus ſemunciis pondere continet; lap. bez. Leguanæ, XXV. granor. lap. in inteſtinis ovi repertum, tuber terræ exacte referentem. Inter *lapides ab animalibus deglutitos* aſſervat lapidem corneum ad album vergentem colorem, quinquangularem, ſemipollicis latitudine & longitudine, lævigatiſſimum, in gallopavonis ſtomacho repertum, in quo mirandum, quomodo faucium anguſtias pertranſire potuerit.

In

In peculiari cistula custodiæ tradidit *gemmas* pellucidas, perfecte & obscure & diaphanas, & non pellucidas.

Sequuntur *mineralia* in specie sic dicta, in hoc museo obvia; Spectantur metallis affinia, fluores, metalla spuria, marmora metallica, Quarze, Spatha, Ærugines, Antimonia, Arsenica, Cadmiæ, Chrysocollæ, Cinnabaris, Cobalta, Galenæ, Marcasitæ, &c. Ex *metallis* habet multas mineras ferri, plumbi, stanni, æris, argenti, auri; in specie arenam martialem Lapplandicam atram, ad littora maris inventam; globulos Martis arenosos Seitendorfenses Silesiæ; mineram ferri albam Tyrolensem; terram Martialem atro-rubescentem Brachewizensem; mineram plumbi viridescentem Frybergensem; galenam cubicam Anglicanam; Mineram stanni Coruwalensem cubicam, coloris amethystini, semidiaphanam; Cuprum nativum Islebiense, quod *Kupffer-Hücke* metallifossores vocant, Goslariense, Saleense, quod nulla ignis vi adhuc domari potuit; Ilmenaviense capillare; quarzum album Oravizense, cupro nativo foliato prægnans; mineras Siberienses Venereas & Sobieskyenses, quam Solikamskyenses mineram rubram Joh. Georgipolitanam, subtilissimis argenti lamellis, quas metallifossores angeflogen Silber vocare amant, adspersam; aliam Christianicam Norw cui sapphiri immersi sunt; aliam Kunckelensem scissilem semidiaphanam, colore albo ad rubicundum inclinante, weis Glass-Ertz; Marcasitam striatam argenti-feracem Cumberlandicam ex Anglia; Argenti miculas ex Rap-Boda, Hercyniæ rivo, per loturam separatas, Silber-Schlich; Argentum nativum capillare, Haar-Silber, Islebicum, Andreæmontanum, in fila metallica quasi ductum, Drath-Silber, Norwegicum; quarzum album Tunquinense auro nativo adspersum; quarz. ejusmodi Caschaviense auro foliato plenum. &c. Nunc avocat nos aliud naturæ polydædalæ *Regnum*, nempe *vegetabile*, atque nobis uteri sui elegantes spectandas patefacit delicias; loculamenta offerunt fungos varios, muscos, prætertim arbusculis minimis similes, mira colorum varietate ornatos, quos Africæ regio, das Tassen-Eyland vocata, in scopulis submarinis profert;

 arun-

arundines, folia arundinis sacchariferæ: plantas marinas, præcipue fungum coralloidem striatum & crispatum, *See-Rose;* radices, ligna, cortices, fructus, semina, v. g. Nellu, Phaseolum divi Thomæ; gummata &c. Expectat nunc lustrationem *Regnum animale*, in hoc videntur *Insecta* varia, alata & non alata, apoda & pedibus prædita. Adsunt lumbrici ex apostemate mulieris exsecti; musca scorpio. ideo sic dicta, quia caudam caudæ scorpionis similem habet, punctura hujus vulnus vix visibile, quod in magnum excrescit tumorem, efficit. *Crustata* s. *malacostrata* v. g. paguri, squillæ, astaci; *testacea* s. *astracoderma* magno numero adsunt, hæc eo magis miranda, quo major in iis structuræ & colorum varietas omni veneratione admirandas divinæ sapientiæ divitias pandit. Quis non miretur tot figurarum formas, tot colorum differentias? Dom. Poss. divisit ista in *tubulosa* & *vasculosa;* priora iterum in *monothalamia* & *polithalamia* subdivisit. Ex multis saltim adducemus Buccinum læve atro-cœruleum, cui cancellus, ab aliis Cuman, ab aliis Bernhardus eremita dictus, adhuc insidet; Mitram papalem, sic dictam, quia inversa tiaram pontificialem præsentat. Spiræ omnes in extremitate inferiori tuberculis eminentibus dimensis ex æquo spatiis ornantur, & punctis incisis, lineas parallelas transversas efformantibus, gaudent, colore luteo albent, & notulis quadratis aurantiitis aspersæ sunt. *Plumam gallorum*, quæ est strombus a proportione quadam cum pluma struthiocameli a gallis ita denominatus; testam habet crassam & admodum ponderosam, pulchritudinem ejus augent maculæ cinnabarinæ partim rotundæ, partim obtusæ quadrangulæ, supra lacteum colorem, quo testa tingitur, disseminatæ; Oris apertura angustior & longior interne ab una parte simplex, a parte autem altera labiata & rugosa existit, & superiori sui parte in sulcum abit. Concha pluris pretii. Strombos excipiunt *Turbines*, ex quibus notatu dignus Turbo, a nonnullis *Fistula musica*, ab aliis *cervinum cornu* dictus, quia summum cervini cornu apicem imitatur; gyros habet non umbonatos, & præstat notulis fere, sed obtuse quadrangulis, castanei coloris, quæ juxta commissu-

Tab. I. Fig. V

miſſuras ſpirarum diſpoſitæ, eburneum colorem, quo teſta imbuta eſt, diſcriminant. Ad Turbinum latus in hoc muſeo habitant Trochi; his confinem locum occupant *Neritæ*. Adſunt porro *cochleæ*, ad has retulit *porcellanas*, v. g. *pediculos marinos* f. porcellanas minores, per medium dorſum ſubtili lacuna, ſecundum longitudinem, præditas, e quibus ad latus utrumque ſtriæ ſubtiles in oris aperturam excurrunt; *porcellanas* fere *cylindroideas*, a circulis croceis, tanquam Argi oculis, *Argus* dictas; hi circuli teſtam coloris palearis exornant, ſupra quam transverſim duæ faſciæ albæ ſpectantur; oris apertura alba eſt, cujus bina labia coſtulis transverſalibus brunnis rigent. Hæc omnium porcellanarum, ob raritatem, pretioſiſſima habetur. His adjecit *Volutas*, in ſpecie volutam, *ſtercoris muſcarum* denominatione inſignitam, coloris cineriti, quem punctula nigra & alba tingunt; volutam, *ſtercus pulicum* nominatam; hæc teſtam habet albam, in qua ſtigmata nigra parva cernuntur, ita tamen ſita, ut deorſim undulatim decurrant. Prope has poſiti ſunt *Cylindri;* hos comitantur *cochleæ pyriformes*. His relictis, tranſitur ad *polythalamia*, *Nautilos* &c. *Teſtacea vaſculoſa* D. Poſſ. diſtinxit in *ſimplicia* & *compoſita*. Ex prioribus f. *monoconchis* aſſervat *patellas*, *aures marinas;* ex compoſitis habet *diconchas* l. *bivalves*, *polyconchas* f. multivalves. Priores diviſit in *æquilateras*, *inæquilateras* & *anomalas*. Ex *polyconchis* Balanos & Echinos aſſervat.

Animalia reptilia nunc naturæ curioſos ad ſui contemplationem provocant; ex his notamus ſerpentem Orientalem *Amphisbæna* dictam, elegantiſſime pictam. Cœcus ſit oportet, qui caudam capiti ſimilem judicet, cum autopſia evincat, eam ore, oculis & lingua carere. Ex *piſcibus* videre hic præſtat *Remoram*, piſcem nigrum, capite ovali, quod ſuperiori Tab. II. ſui parte non umbonatum ſed horizontale exiſtit, ſubtili linea Fig. II. in medio ſecundum longitudinem diviſo, ex qua ad utrumque latus rugæ carneæ exeunt, quibus piſcis adhæret ſaxis l. navibus; Caput acus marinæ fere triangulare; *Hirundinem marinam*, ab Indis *Pirabebe* dictam.


Ex


Ex *avibus* adsunt Avicula Brasiliensis, Guainumbi species, Columba marina &c. ex *animalibus quadruped.* v. g. Integumentum testudinis terrestris stellatæ; Lacerta Africana, chalcydia ab Imperato nominata; Crocodillus terrestris minor; pullus Crocodili ulnæ longitudine; Chamæleon Oriental. Amboinicus, coloris cœrulei; caput habet mitra tectum. &c. Et hæc sunt præcipua, inter multa alia, in hoc physiotamæo notatu digna. A natura, artium magistra, ad artem, naturæ pedissequam, nunc transire, & technophylacium plur. Rev. D. Lesseri describere possemus, verum in sequenti epistola, id præstabimus. Vale interim, *Vir Præstantissime*, quam longissime, quam felicissime, & fave Tuæ eruditionis & virtutis admiratori & cultori indefesso, qui summi honoris agnoscet loco, si erit,

Vir Præstantissime,
Cultor Tuus devotissimus,
Brückmannus. D.

Wolffenb. d. 3. Dec.
1735.




Tab: I.
ad Ep: 9t I.
II.


V.



Tab: II ad Ep: It: L.

